



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 7. Politia Francorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

tamen Francia semper in capite, hoc est, in Rege sana. Annua exorsio sunt Francia Paschate, usque ad Carolum IX.

§. 6. *Mores Francorum.*

LEVISSIMIS moribus esse dicuntur, & eam leuitatem verbis, gestu, vestibus prodere. Vestes certè quotannis apud eos mutantur: hinc pictor Venetus Francum iussus pingere, nudum exhibuit cum panno, forficibus, & hoc lemmate, *vi uoles*: sed quod magis mirere ceteri Europæi præter Hispanos & Italos eorù more vestiri ambiunt. In bellis primo impetu omnia perrumpunt, at ex victoriarum gloriâ vix vllum olim referebant fructum, vt nostri etiam queruntur Annales; nunc verò bello parata non minùs retinent constantè, quàm fortiter occuparunt. In Principem suum obseruantissimi sunt, quem vitæ, fortunæ, liberis anteferunt. Francia Nobilitate nulla in orbe generosior, nulla gens vitæ prodiga magis, sed in duella propensior, quæ hæcenus Principum edictis, & gladiatorum suppliciis tolli non potuerunt. Magnus apud eos literis honos in omni genere doctrinarum. Serui in Francia nulli, & quicumque littus Francicum seruus attingit, libertate fruitur. Franci omnes splendidi, hospitales omnes, exterorum plerumque amantiores, quàm suorum.

§. 7. *Politia Francorum.*

VNICVM Regem agnoscit Francia primogenitum, nobilem, virum. Mulieres semper explosæ sunt, seruatus ad literam horum verborum sensus, *lilia neque serunt, neque nent*. Monarchiæ fundamentum Salicæ leges, quas alij sic dictas esse volunt, quòd in his plerumque ista verba repetantur si aliquis, si aliqua; alij à Sale quòd tãquam Sal incorruptibiles, alij ab aulâ vulgò *vale*, in quam proceres de Rep. acturi conueniebant, alij à Fl. Sala iuxta quem incoluerunt, siue ille cadit in Manum ad Gemundam, siue alter qui postea Naualia dictus in quem Rhenus immissus est à Druso.

In Francia duodecim Pares, *les douze Pairs de France*.

CLE-	{ Rhemensis Archiepif. Laudunensis Episc. Lingonensis Episc.	} DVCES,		



RICI } Bellouacensis Episc. }  
 S E X. } Catalaunensis Episc. } COMITES.  
 } Nouiodunensis Episc. }

LAI- } Burgundiæ }  
 } Aquitaniæ } DVCES.  
 } Normanniæ }

CI } Tholofæ }  
 S E X. } Campaniæ } COMITES.  
 } Flandriæ. }

Ordo celeberrimus S. Spiritus ab Henrico III. excitatus, cum S. Michaëlis ob communitatem vilesceret. In bello summa dignitas Comitis stabuli *le Connestable*, hunc excipiunt primùm duo, mox quatuor, tandem plures Marefcalli. In pace iuridicundo præest Cancellarius, lingua Regis; hinc Magistri libellorum supplicum *les Maistres des Requestes*, Magnum Consilium *le Grand Conseil*, Parlamentum *la Cour de Parlement*, Rationum Magistri, *les Maistres des Comptes*, Curia Adiutorum *la Cour des Aydes*. Fisco præest Superintendens, cui adiuncti quatuor Intédentes, &c. vna penes Regem administratio quia Reip. status hic planè Monarchicus: Rex audit disceptantes, ille vnus quid opus sit facto pronunciat.

CAPVT II.

*Totius Francia Methodica diuisio.*

EX antiquioribus diuisionibus, & iam obsoletis concinnamus tibi diuisionem hanc, vt tam multas prouincias ad pauciores partes reuocemus. De NEVSTRIA, seu Francia Occidentali sæpe loquuntur historiæ Nortmannorum. DE FRANCIA ORIENTALI seu Ducatu Franciæ fit mentio in manuscripto Codice Centulensi qui nondum vulgatus est. De regnis BVRCVNDIÆ & ARELATENSIS magna cõtrouersia: ex multis opinionibus eam amplexi sumus, quæ rei nostræ Geographica meliùs conueniret. AQVITANIAM tantùm terrarum occupasse miraberis? quid si ad Comitatum Barcinonensem extenderem, dicerem aliquid contra historiam? Nonne Vicecomes Benearnensis Eduardo Duci Aquitaniæ submittere se coactus est; nõnne item Aruerniæ Comites eundem agnouerunt Dominum? Quin & Occitaniam *le Languedoc*, ei annexam esse sub primâ Dynastiâ legimus. Hâc tamen diuisione tantùm ad memoriam vttere.

Bbb ij